





1779, 2  
XIII  
7  
//

JUSTUS CHRISTIAN. LUD.  
DE SCHELLWITZ

H. T.

IVRECONSVLTORVM ORDINIS EX-DECANVS  
SOLEMNIA INAVGVRALIA

PRAENOBILISSIMI CANDIDATI  
BERNHARDI GOTTLIEB HVLDERICI  
HELLFELD

IESENSIS

INDICIT

ET

DE IMPENSIS AD ARCIVM  
EXSTRVCTIONEM ET REFECTIONEM

NECESSARIIS

PRAEFATVR



JENAE

LITTERIS MAUKIANIS.

CICIDCCCLXXVIII.

JUSTUS CHRISTIANUS  
DE SCHELLWITZ

H. E.

RECTORII ORDINIS DECANUS

SOLANIA IN AUSTRIA

TRANSOBISSINI CANDIDATUS

BERNHARDI GOTTLIEB HALDER

HEILFELD

1785

IN D. O. P.

II

DE IMPENSIS AD ARCHAM

EXSTITITUM IN REFORMATIONE

NECESSARIIS

REPERITUR

STREITUNG MICHANIS

1785





§. I.

**P**raeclare quidem nonnulli magni nominis Icti de palatiis Principum eorumque iuribus scripserunt a), at de sumptibus ad illorum extructionem et refectionem necessariis nemo huc vsque seorsum egit. Quocirca iam de hoc argumento quaedam differere eo minus dubitavi, cum, qui systemata iuris publici germanici ediderunt praestantissimi viri, si a perill. 10. IAC. DE MOSEB b) discesseris, illud vix tetigerint. Quia multi imperii ordines plures diuersi generis arces habent, de singulis figillatim dicendum est. Primo loco de palatiis,

a) scriptores hi enumerati sunt in MART. LIPENII *biblioth. real. iurid.* Tom. II. sub voc. palatium pag. 124. et sub voc. residentia pag. 270. Add. perill. 10. IAC. DE MOSEB

*tract. vom persönlichen Staatsr. der Teutsch. Reichsstände* Tom. II. lib. 3. cap. 4. §. 1. pag. 72.  
b) *tract. von der Landesboheis in Steuer-sachen* cap 5. §. 73. p. 576. 1q.



palatiis, in quibus imperii status in residentia praecipue commorari solent, pauca proferam.

§. II.

Si Domini territoriales arces aedificare aut reficere volunt, ad quod, nisi specialis obligatio adsit, c) non possunt cogi ipsi

c) Talis obligatio specialis inter status imperii seculares saepe ex conventionione siue alia lege familiae et quoad ordines imperii ecclesiasticos ex capitulatione descendit. In pacto Bainheimensi inter SPONHEIM. ET VELDENT. a. 1425. inito et in deduct. Birkenfeldensi contra Baden wegen Abtheilung der hiesern Grafschaft Sponheim inter adiuncta primo loco pag. 33. collocato haec occurrunt: *Es sollen auch die obgenannten unsere Vettern und die obgenannten ihre Erben in den gewainen Schloßten alle Jahre 300 fl. verbauen, wo sie dann duncker noth, und allerbequemlichst sin. Franciscus Wilhelmus Episcopus Osnabrugensis Episcopi Ratisbonensis Coadiutor factus a. 1641. in §. 25. capitulationis promisit: Episcopalis palatii fabricam, aliasque dioecesis arces, atque aedificia salua, et sarra recta conservabimus, et quae per haec bella attrita, et ruinae quasi data sunt, de eorum reparatione, aut quid cum utilitate agendum sit, cum capitulo deliberabimus—ea, quae iam sunt vel fuerunt, conservabimus. Minime autem haec pertinet pontificis dispositio. Quamvis enim pa-*

pa in bullis confirmationum Episcopis Germaniae interdum varia onera, inter quae haud raro est episcopalis residentiae refectio, imponat, tamen Imperator tanquam supremus Aduocatus et Protector ecclesiarum in Germania talibus novationibus se opponit, eae docent copelusa senatus imperialis aulici d. d. 20 Sept. 1746. et 22 Aug. eiusd. anni, quae extant in *der vollständigen Sammlung von actis publicis und Staats-Schriften unter Kaiser Franz Tom. III. p. 994. sq. et Tom. IV. pag. 190. sq.* Nec status provinciales in regula Dno territoriali hac in re aliquid praescribere possunt. Confirmat hoc historia Magdeburgensis, ex qua constat, quod ordines provinciae saepius quidem in comitiis provincialibus post pacem Westph. habitis vltimum Administratorem Augustum, vt palatium Halensē a Sancto Mauritio denominatum et in belli tricennalis turbis deuastatum repararet, enise rogauerint, at hoc non factum sit, quia Princeps noluit. IO. CHRISTOPH. DE DREYHART in *der ausführl. dipl. hist. Beschreibung der Saal-Creyßes Tom. II. pag. 542.*



ipsi sumtus ex redditibus cameralibus *d)* sustinere tenentur *e)* Nam imperii ordines iis temporibus, quibus officiales Imperatoris erant, omnes impensas, quas non solum iustitiae administratio et provinciarum defensio, sed etiam sua suorumque sustentatio poscebat, ex cameralibus prouentibus haurire debuerunt *f)*. Nec postea, superioritate territoriali perfecta, hac in re mutatio accidit *g)*. Luculenter hoc vel ex eo patet, quod Domini territoriales pristinam camerae suae obligationem nunquam ab isto inde tempore in dubium vocarunt, sed potius verbis atque re ipsa agnouerunt *h)* et adhuc agnoscant.

### §. III.

At cum Domini territoriales ad varia onera proprie a camera ferenda subsidium aliquod a subditis postulare queant: quaestio emergit, anne iidem, ut incolae ad aedificationem et refectionem arcis aliquid conferant, iure desiderare possint? Videndum est, an hoc onus non repugnantibus subditis imponatur, nec non status provinciales, ubi adsunt, consentiant, nec ne? *Prior casus non est dubius.* Expediti enim iuris est, quod Imperantes nostri ordinibus provincialibus et eorum imperio subiectis non aduersantibus omnis generis collectas, quae tertio non sunt molestae, valide introducere queant.

### §. IV.

Quod multa huius rei exempla in actis publicis et historiarum monumentis inueniantur, nemini mirum videbitur.

A 3

Nam

- d)* Egregie de statu imperii redditibus cameralibus egit perill. 10. 1. a. c. de MOSER tract. von der Landesboheiz in Cameral Sachen cap. 1. pag. 1. sq.
- e)* Perill. 10. 1. a. c. de MOSER tract.

- von der Landesboheiz in Sauer-Sachen cap. 5. § 42. pag. 532.
- f)* DAVID GEORG STRUBE rechtl. Bed. T. II. consil. 1. §. 4. pag. 6. sq.
- g)* IDEM loc. cit. §. 5. pag. 7. sq.
- h)* IDEM l. cit. pag. 9. in f. sq.




Nam regulae prudentiae suadent, vt status prouinciales Principi tunc inprimis, si palatium casu fortuito valde corruptum aut adeo plane deuastatum est, pro modo facultatum subueniant, iam, quae mihi suppetunt, exempla secundum seriem temporis recensebo. Die 15 Mart. a. 1619. deputati ordinum prouincialium in conuentu deputationis Vinariae habito ad aedificationem arcis Vinariensis certas collectas modo simul definito per sex annos soluere decreuerunt *i*). In ducatu Bipontino varios haec materia motus excitauit, quorum summa haec est. Anno 1737 status prouinciales conquerebantur, quod Ducis antecessor illos ad extructionem palatii in bellis gallicis exusti quotannis vsque ad mortem suam anno 1731 infecutam 10000 Fl. conferre coegisset, quamuis istae contributiones vi promissi iam anno 1725. quo noua arx habitari coepta esset, cessare debuissent. Dux respondit, quod ab anno 1721 inde vsque ad annum 1731 ex aerario prouinciali extraordinario a subditis 152507 Fl. 40 Crucig. porro ab incolis 15000 Fl. et a ciuitatibus speciatim rogatis 1790 Fl. adeoque in summa 169297 Fl. 40 Crucig. ad palatii aliorumque aedificiorum extructionem soluti essent *k*). Cum Carolus Würtemb. Dux a. 1746 Stutgardiae nouam arcem exaedificare inciperet, quotannis 60000 Fl. hunc in finem destinati fuerunt. Quae summa ita distributa fuit, vt a corpore prouinciali 30000 Fl. a camera 15000 Fl. et de bonis ecclesiasticis 15000 Fl. numerari deberent, quod per plures annos factum est. At ordines prouinciales a. 1764 inter alia de eo, quod a. 1760 noui palatii causa indictae collectae in res alias impensae essent, conquesti sunt *l*), et, cum Serenissimus plane non

*i*) IO. SEBAST. MÜLLER in den Sächsischen annalib. p. 315. in f.  
*k*) Perill. IO. IAC. DE MOSER, loc. all. cap. 5. §. 73. pag. 576.

*l*) ANTON. FABER. *neue Europ. Staatskanzley* Tom. 14. p. 193.





non amplius Stutgardiae commoraretur et officiales aulicos vrbem relinquere iuberet, in vltiores huiusmodi collectas non consenserunt, cuius effectus fuit, vt coeptum opus non perficeretur *m*). Reliqua, quae alibi legi possunt, *n*) non sunt huius loci.

### §. V.

Pecunia, quam subditi ad exstructionem et reparationem arcis contribuere solent, *Bausteuer o*), *Schloßbau-Beytrag p*), aut *subsidiu[m] camerae, subsidiu[m] charitativu[m], Cammer-Beytrag, Cammer-Hülfe* vocatur. Posteriora haec nomina optime cum natura rei conueniunt, quia omnes contributiones, quas Dominus territorialis a ciuibus suis eum in finem, vt regiminis onera commodius ferre, nec non se suosque melius sustentare queat, consequenter ad subleuandam cameram accipit, reuera subsidiu[m] camerae sunt, quamuis ab eodem et prouinciae statibus, prout sine dubio licet, aliter denominentur *q*).

### §. VI.

Iam quoque ad *alteru[m] casu[m]* progredior, si ordines prouinciales in subsidiu[m] a territorii Domino ad aedificationem vel refectionem palatii petitu[m] non consentiunt, aut alii Principis imperio subiecti contradicunt. Cum leges imperii imperantibus nostris ius ad ea, quae sua suorumque sustentatio requirit, a subditis aliquid exigendi non concedant, ius collectandi statutu[m] imperii autem regulariter ad casus in constitutionibus imperii expressos restrictu[m] sit *r*): facile est intellectu Domini

*m*) Perill, MOSER loc. all.


*n*) ANTON, FABER loc. all. Tomi 17. pag. 130. Add. transactio notissima d. a. 1770. class. 2. §. 18. sq.

*o*) vid. IO. SEBAST, MÜLLER, loc. all.

*p*) vid. ANTON, FABER, loc. all. Tomi 14. p. 193.

*q*) Perill, MOSER, loc. all. cap. 5. §. 42. p. 532.

*r*) DAVID GEORG, STRYBE *obs. iur. et histor. obs. 4. §. 5.*



nis territorialibus in regula nullam actionem competere, quam contra ordines prouinciales aliosue eorum imperio obnoxios instituire possent.

### §. VII.

Quid autem tunc dicendum est, si territorii Dominus impensas ad arcis exstructionem vel reparationem necessarias e reditibus fiscalibus haurire nequit, aut vi legitimaе obseruantiae horum sumtuum partem ab iis, qui imperio suo obtemperant, exigere potest? Hi casus a regula in §pho praeced. stabilita excipiendi sunt. Tenentur enim status prouinciales alique ciues omnia illa onera suscipere, quae quidem proprie camerae Principis incumbunt, at ab illa sustineri nequeunt s). Nec minus certum est, quod generatim limites, quibus superioritas territorialis per leges imperii in subditorum fauorem circumscripta est, per obseruantiam particularem extendi possint, et imprimis collectae, quas imperii constitutiones necessarias non reddiderunt, territorii Domino rite comparatam obseruantiam pro se habenti sine contradictione solui debeant t).

### §. VIII.

Nonnulli imperii ordines praeter palatia, quae in residentis conspicimus, passim in territorio magna aedificia siue habitationis, siue venationis, siue voluptatis etc. caussa exstruxerunt u).

Ex

s) DAVIE GEORG. STRVVE *obseruat. iur. ex histor. obf.* 4. §. 12. DIETTER. HERM. KEMMERIC. *introd. ad ius publ. imp. rom. germ.* Tom. II. Lib. 7. cap. 7. §. 6c. in f. pag. 1488. edit. fec.

t) Resolut. Caesar. de mens. Febr. a. 1671. quae extat in *der neuen und vollständig. Sammlung der Reichs-Ab-schiede etc.* Tom. IV. sub num. 41. pag. 84. col. 1. in f. perill. 10. 11 a c.

demoser. *trach. von der Landesho-beit der Teutsch. Reichsstände über-baupt* cap. 15. §. 7. pag. 289. sq. et in *der Abhandl. verschied. Rechts-Mate-rien* Part. 8. comment. 4. §. 3. pag. 767. sq.

u) Egregie de omnibus hisce aedificiis disserit Perill. CAROL. FRIED. L. B demoser. in *Teusch. Hofrecht.* Tom. II. Lib. 7. cap. 1. §. 14. sq. pag. 265. sq.

Ex iis, quae de impensis ad aedificationem vel refectionem arcium in residentis ad ordinariam Principis commorationem defınatarum necessariis huc vsque disputavi, facili negotio colligitur, quod Dominus territorialis in regula omnes huiusmodi aedes, quibus facile carere potest, suis sumtibus exstruere et reparare teneatur.

### §. IX.

Postquam huc vsque de palatiis Dominorum regentium actum est, *de postgenitorum non regentium* habitatione nonnulla addenda sunt. Si, qui certam prouinciae partem cum quibusdam regalibus etiam maioribus aut saltem iurisdictione ciuili vel uice vel cum exigua pecuniae summa accipiunt, adeoque in vnam classem referri possunt x), haud raro sibi stipulantur, vt primogenitus illis certas arces concedat y). Si talis postgenitus non regens haec siue alia a se ipso exstructa palatia de nouo aedificare aut reficere cogitur, in regula hasce impensas ex suis prouentibus hausire debet. Nam quemadmodum huiusmodi sumtus a Domino regente, si specialis obligatio deest, peri nequeunt, ita nec ordinarie hoc nomine a subditis quicquam exigı potest, quia nulla idonea ratio suppetit, ob quam postgenito tali illi plus, quam Domino territorii liceat. Quod ad reliquos postgenitos non regentes in adulta aetate constitutos nec extra territorium degentes atinet, Dominus regens in plerisque familiarum illustrium legibus illis vel in sua arce commorationem concedere, vel, si hoc nec ipsi nec postgenitis placet, in separata aede siue in residentia siue alibi z) habitationem gratis praestare iubetur. Quamobrem a territoriali Domino

x) perill. 10. IAC. DE MOSER *Familien Staatsr.* Tom. I. cap. 3. §. 49 pag. 484.

y) Sic v. gr. in pacto a Wilhelmo V. Hassiae Landgr. lineae Castell. cum matre sua postgenitorum nomine die 12 Febr. 1627 inito sub num.

6. statutum est, quod postgenitis praedestinatae quartae honorum parti nonnullae bene aedificatae arces, in specie Schmalkald. Herrnbreitung, et in euentum Rotenberg adici deberent.



Domino hunc in usum aut in residentia aut extra illam vel noua aedificia extruuntur, vel aliae domus adornantur et instruuntur. Huius generis impensas Dominum, penes quem imperium est, suggerere oportet, et saepe in legibus familiarum illustrium illarum modus et quantitas accurate determinatur. Ratione sumtuum in tales aedes durante postgenitorum habitatione impendendorum ante omnia ad ea, quae lex familiae siue scripta siue non scripta aut in specie de casu controuerso aut generatim de hoc argumento praecipit, attendendum est. Quae normae in eo plerumque conueniunt, quod postgenitis modicae tantum refectioes incumbant, maiora autem damna incendio, bello alioque casu fortuito data a Domino regente ferenda sint <sup>a)</sup>. Idem principium etiam tunc, si nulla plane norma adest, locum habere videtur. Conuenit enim illud cum natura rei, quia habitatio postgenitorum est pars deputati, adeoque alimentorum.

Hic subsisto et ad ea transeo, quorum causa hae pagellae conscriptae sunt. Ex more nempe maiorum exponere debeo, quae natiuitatem et studiorum rationem

PRAENOBILISSIMI SVMMORVM IN IVRE  
HONORVM CANDIDATI  
BERNHARDI GOTTLIEB HVLDERICI  
HELLFELD  
IENENSIS

concernunt. Qua quidem mente ea, quae Honoratissimus Candidatus in exhibita scheda ipsè enarrauit, apponere non dubito.

**M**undi lumen adspexi Ienae Idibus Nouembris A. P. R. S. CIOIIOCLIX. Patrem, quae Dei est clementia, supersittem venero 10. AVGVTVM HELLFELD. Iur. Doctorem. Serenissimor.

<sup>a)</sup> Quomodo locus habitationis determinetur exponit perill. 10. IAC. de MOERK loc. all. §. 52. pag. 499. vbi simul recte obseruat, quod postgenitis, si extra residentiam habitant, ple-

rumque in loco commorationis non concedatur iurisdictio.

<sup>a)</sup> Vide v. c. disposit. primog. Christiani Duc. Martsb. et testam. a Io. Georg. I. Duce Sax. Ienae, a. 1685. conditum.

sumor. Ducum Sax. Vinar. et Henac. nec non Gothan. et Alten-  
 burg a consiliis sanctoribus in regimine et aula. Iur. Canonic.  
 in celeberrima hac Academia P. P. O. Cur. Prov. Sax. Comm.  
 Ass. primar. Iurisconsultor. Ordinis et Scabinor. Colleg. Praesidem  
 Ordinarium. rel. *matre* FRIDERICA LUDOVICA, BEATI IOH.  
 REINHARDI RVSSII Theologiae Doctoris et in hac Salana,  
 quondam, Professoris publici ordinarii filia, *proh. dolor!* A.  
 MDCCCLXV. praematuro morte, iam mihi crepta. Dulcissimo parenti,  
 quem Summum Dei Nomen mihi salutis et prosperitati diu adhuc vivum  
 esse volo! nil magis necessarium visum est, quam ut, simulac tenera  
 permitteret aetas, tan verae pietatis principiis, quam litterarum rudimen-  
 tis imbueret; quam in rem vix triennio effluxo, priuatis me tradidit  
 praeceptoribus, religionis christianae principiis, litteris, linguis, ac  
 omnibus disciplinis eis, quibus aetas iuuenilis imbui solet, fideliter eru-  
 diendum. Quorum fidelissima instructione, quod grata mente publice  
 agnosco, factum est, ut anno aetatis XIII vix egresso ad academicam  
 studia accedere potuerim. Quocirca A. MDCCCLXXII d. 22 Martii a  
 Viro Illustri CAROLO FRIDERICO WALCHIO, sacae academiae  
 tunc tenente, civium academicorum numero adscriptus, ne imprae-  
 paratus ad sacra Themidis, cui praecipue studia me consecranda, veni-  
 rem, litteris primum philosophicis me imbuendum esse auxi, atque in  
 historiae, philosophiae, matheos, humanitatisque studia, tota mente  
 incubui. A quibus ut exordiar, in Logica doctore usus sum S. R.  
 POLTZIO; in historia statuum, acque ac Saxonica, ut et in doctrina  
 de insignibus et rei numariae notitia addiscenda EXC. MULLERI  
 in Mathematicis et Physicis ILL. WIEDEBVURGI, in historia natu-  
 rali, ILLVSTRIS, jam inter coelites triumphantis, WALCHII, in  
 Iure Naturae nec non Iure publico vniuersali EXC. SCHEIDEMAN-  
 TELII, — virorum harum scientiarum peritissimorum, industria, at-  
 que dexteritas mihi celebranda est. Hic praestructis, ad ipsum stu-  
 dium iuridicum accessi, ac prima quidem Iuris ciuilibus Elementa expo-  
 nentem quidam EXC. REICHARDVM, quem etiam in Iure Canonico,  
 praeceptorem habui fidelissimum. Pandectas, Ius Criminale et Feu-  
 dale, nec non Artem ex actis referendi me docuit VENER. PARENS.  
 Interfui quoque, non absque insigni utilitate, quod grata mente prae-  
 dico, recitationibus, summorum Virorum, Illustrum atque Excellen-  
 tissimorum WALCHII, a SCHELLWITZ, MAIERI et OELTZII; at-  
 que

que eximios fructus ex exercitiis disputatoris, sub ILL. WALCHII auspiciis instituti percepi. Nec tamen exercitationes illas disputatorias, inter priuatos parietes solum intercludendas putavi, sed ut maior eis accederet, et utilitas et honor, opponentis spartam, haud una vice mihi mandatam suscipiens, in publicam arenam disputatoriam pluries conscendi, quam — et ipse quaecumque ingenii specimen, ex historia, quae ab incunabilis fere mihi in deliciis fuit, et adhuc est, depromptum \*) sub praesidio EXC. WIEDERBURGI, jam Professoris Helmstedii munere fungentis, publice defendi. Quum autem deinde etiam exteram musarum sedem inuisentis cupiditate instigarer, in sine fere studiorum A. MDCCCLXXVIII ad celeberrimam illam Georgiam Augustam, quae Goettingae floret, me contuli, ubi ab EXC. et P.V. KVLENKAMPPIO fasces academiae eo tempore gerentis, in album civium academicorum relatus, magna studiorum utilitate, iuris Canonici praecipua ex ore doctissimo PERILL. BOEHMERI excepi, in Iure Publico PERILL. PÜTTERVM praecceptorem habui, atque GENEROSISS. a SELCHOW, historiam I. R. G. exponentem, audiui. Quibus de orbe literario longe meritissimis viris, gratias habeo immortales pro fidelissima eorum institutione, meritaque illorum etiam in me, pia, dum vivam, deuenerebor mente. Haec deinde in patriam hanc academiam, ab illustri Ictor. ordine, ea qua par est obseruantia, petii, ut periculum facerent, quantos in scientia iurium progressus fecerim.

Honestissimis hisce petitis ordo noster annuit et Praestantissimum Candidatum ad consueta admisit examina, in quibus virum e praestitit eximium. Quamobrem facultas nostra non dubitauit eum ad vltimum specimen, solennem nempe disputationem admittere, quam de fideicommissis familiarum illustrium, eorumque, si alienata sunt, reuocatione elaborauit et die IX. Oct. publice sine Praefide defendit.

Quem actum ut MAGNIFICVS ACADEMIAE PRO-RECTOR, ILLVSTRISSIMVS S. R. I. COMES, PROFESSORES ET DOCTORES OMNIUM FACVLTATVM CELEBERRIMI, HOSPITES PRO SVA QVISQVE DIGNITATE HONORANDI, ATQVE COMMILITONES GENEROSISSIMI PRAENOBILISSIMIQVE honorifica sua praesentia condecorare non dedignentur, ordinis iuridici et meo nomine omni, qua par est, obseruantia rogo. P. P. sub sigillo facultatis iuridicae in academia Icenensi die VIII. Oct. A. R. S. CIO DCCCLXXIX.


\*) De Friderico Duce Brunsv. et Lunob. ad imperatoriam dignitatem destinato. Ienae 1777.

(L. S.)

Jena, Diss., 1778-84  
X 230 94 55







1779, 2  
7  
11

JUSTUS CHRISTIAN. LUD.  
DE SCHELLWITZ

H. T.

IVRECONSULTORVM ORDINIS EX-DECANVS

SOLEMNIA INAUGVRALIA

PRAENOBILISSIMI CANDIDATI

BERNHARDI GOTTLIEB HVLDERICI

HELLFELD

JENENSIS

INDICIT

ET

DE IMPENSIS AD ARCIVM  
EXSTRVCTIONEM ET REFECTIONEM

NECESSARIIS

PRAEFATVR

JENAE

LITTERIS MAUKIANIS.

CIDICCCCLXXVIII.